

# ENCOMIA

HVBÆ SLACCENVVAL.

DENSIS, AC THER-

marum Carolinarum apud

BOEMOS.

ITEM Liber Elegiarum ac

Epigrammatum,

AVTHORE

GASPARE BRVSCHIQ.

VITBERGAE,

ANNO

M. D. XLII.

*Dedit ac optimo viro dno  
Ioanni Eilenspergero  
amico veteri ac ha-  
rils. ab G. Bruschio.*

IOANNES STIGELIVS  
GASPARI BRVSCIO.

Cum doctis numerent nihil poetis  
Quorum est officium Deas tueri,  
Quæ casti Eloquij sacros liquores  
Castis non nisi vatibus propinant:  
Inter tot mala totq; passiones  
Hec nobis recreatio relicta est:  
Vt montes tamen aureos, scruposq;  
Argenti liceat videre tantum,  
Complectiq; animis, An hec voluptas  
Tanti est, vt cupias poeta dici?  
Hoc tu forte, sed audi amice Brusih  
Si non quod cupias, habere fas est:  
Magna est commoditas imaginari.  
O doctos nimis alte imaginari  
Hoc qui temporis audiunt poetæ.

Nasce, Pati, Mori & resuscitatos frui  
æterna vita cum Christo.



# REVERENDO

IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

IOANNI ABBATI DE PELIANO APVD

Boemos, Domino & mœcenati suo

S. D. Gaspar Bruschius.



VOD officijs ego ac liberalitati  
tuæ Reuerende Pater, minus  
hactenus quàm equum erat re-  
spondi, nec adhuc respondeo,  
cupio humanitatem tuam pa-  
cienier potius ferre quàm ma-  
gnopere hac de causa indignari.  
Agnosco enim officia tua &  
agnoui etiam dudum, quàmuis  
horum magnitudini non passa me fuerit hactenus, curta  
mea supellex pro animi sententia respondere. Ne verò  
memoriam tui me penitus abieciisse existimare possis, aut  
suspiceris officia tua in hominem parum gratum te collo-  
casse, Volui animum tibi meum, quàm sit is tui tuarumq;  
virtutum & amans & obseruans publico scripto declara-  
re. Gaudeo .n. tantum abest vt moleste feram, eam que  
mibi tecum est animorum Coniunctionem ac Amicitiam  
notam esse bonis quàm plurimis: presertim cum non im-  
merito te amem aut temere colam. Ea autem es (non  
enim dicam nunc de fortunis, quib. in his publicis dissidijs  
& periculis ne ipse quidem frui potes) virtute ac ingenij  
dexteritate, ea porro humanitate ac pietate, vt merito te  
docti ac pij omnes amare, amplecti ac obseruare denique  
& magnificere debeant. Ne autem ego breuem libellum  
longiori Præfatione onerem, & leue munus multa verbo-  
rum ambage tibi obtrusisse videar, relicta hic Virtutum

A ij tuarum

quarum commemoratione qua te nec delectari scio, ad li-  
 belli præsentis mentionem accedo. Fateor autem ingenue  
 me multa humanitati tuæ debere. Et cuperem profecto  
 longe plura etiam animo promptissimo præstare, Sed re-  
 pugnat meo voto partim fortunæ malignitas, partim in-  
 genij huius mediocritas. Vtunque tamen his omnibus  
 reclamantibus faciam quod possum. Nec dubito, quin sis  
 id (quod bono animo suscipio & facio) boni consulturus.  
 Offero autem humanitati tuæ Libellam hunc de Huba  
 Slaccenvualdenſi & Thermis Carolinis in honorem &  
 patriæ meæ & generosissimarum apud vos familiarum  
 Pflugianæ, nempe ac Slicinæ cum aliquot Elegijs ac  
 Epigrammatibus scriptum, Eius cupio te præcipue &  
 multas easdemq; non vulgares ob causas patronum esse  
 seu, vt Poetæ vocabulo vtar, Genium quoq;. Quamuis  
 interim admodum dubitem, sit ne meus libellus in hac im-  
 mensa temporum malignitate victurus, quæ cum ceteris  
 ordinibus, tum vero præcipue Musarum cultoribus vere  
 ferrea sunt. Hortor te autem & ex animo oro. Primum,  
 vt hunc libellum, quod ego te affari cõstitui, & quem volo  
 apud te esse mei erga te animi veluti testimonium quod-  
 dam non grauatim excipias, Deinde, vt quod hæcenus  
 egregie facis pias literas & ames & tuearis, Scholasq; vir-  
 tutis ac pietatis domicilia seu officinas, ac exulantis in hoc  
 mundo CHRISTI sola fere hospicia liberalitate ac muni-  
 ficentia tua ornare ac promouere pergas. Id beneficium  
 CHRISTVS sibi & Ecclesiæ suæ præstari cupit, ac diuina  
 voce ab his (qui Reipub. præfunt) postulat. Idem hoc  
 oppressæ ac lachrymantes Musæ te rogant & obtestantur.  
 Bene vale, Saluta D. Georgium priorem ac Michaelem  
 procuratorem cœnobij tui, Bartholomæum item affinem  
 meum reuerenter. Datæ Vitebergæ in Saxonib. Anno  
 Christi M. D. XLII. Mense Iunio.

**ENCOMION HVBAE SLACCEN-**  
 vualdenſis, montis inexhauribiles albi plumbi  
 mineras continentis, versu Heroico.

**Q**ui putat esse nouum, veterū vel profus ab vsu  
 Scriptorum vulgari alienum aut vatibus impar  
 Versibus aut montes cantare, aut dicere colles  
 Præcipue Naturæ aliquid quos scimus habere  
 Conditæ, & ex sese fluuios effundere dignos  
 Laude, aut thesauros alios in ventre tenere  
 Quos DEVS in nostros vsus vitamq; creauit  
 Fundamenta sui faceret cum totius orbis:  
 Id qui forte nouum veluti miratur & optat  
 Causas nosse, quib. conatus tractus in istos  
 Non teneos potius iuuenum descripserim amores  
 Quales Naso canit reliquorum turbaque Vatum  
 Gallus, Acidalia celebrisq; Propertius arte  
 Et quem clara tulit cultum Verona Catullum:  
 Is legat Andini doctissima scripta Maronis  
 Inuenietq; rogos Aetnæ flammisque furentes  
 Heroo dictas versu, versuq; perenni  
 Quem nec auara dies (que deterit omnia) rumpet  
 Nec poterunt vnde nec edaces perdere flammæ.  
 VOſ igitur iuuenis qui talia scripta Poetæ  
 Vel legitis vel iudicium de carmine fertis  
 Desinitote rei tanquam nouitate moueri  
 Que fuit antiquis etiam seruata diebus.  
 Ergo meo linguis animisque fauete labori  
 Quo charæ imprimis patriæ volo gratificari  
 Mentis & exercere aciem studijq; vigorem.  
 Quamuis hac etiam laudi ratione DEOR VM  
 Consultitur, quam nos certe decet vsq; tueri:

A iij

Cum

Ad lecto-  
rem.

Cum sit finis is ac humanæ caussa cohortis  
 Factæ ac dispositæ præsentis ad ocia vitæ,  
 Ut taceam, quod & hic Naturæ arcana latentis  
 Commemorantur & ante hominum ponuntur ocellos,  
 Que forsitan Deus & Natura abscondere cœcis  
 Ne nobis essent vitiorum caussa, malorum  
 Aut irritamenta, vt sunt, voluere tenebris.  
 Aut Deus in nostros fortassis condidit vsus  
 Hunc cum syderibus lucentem condidit orbem.  
 Nec dubito, quin præclare mereantur & illi  
 De genere humano, quibus explicuisse DEORVM  
 Res pulcre ornatas præclarum aut dulce videtur.  
 Ordinar ergo, iugumq; canam quo Teutonius orbis  
 Non habet & stanni plumbiq; feracius vllum.  
 Tu mea phœbe tuis impelle furoribus ora  
 Nec quem iuuisti tocies nunc desere vatem  
 Qui cupit ad fontesq; tuos ascendere castos  
 Achaurire tuæ dulcissima pocula turbæ.

*Therma Carolinæ.* Sunt salubres longo qua terra Boemica tractu  
 Sese aperit, fama notę vsq; ad sydera Baſę.

*Slaccen-  
 eumeldum  
 civitas me  
 tallica in  
 aditu Bo-  
 hemie cœ-  
 pta, adifi-  
 cari à Slac-  
 cone baro-  
 ne de Rie-  
 senberg.* Venator latebras exquirens fertur easdem  
 Ut primus vidisse, ita toto primus in orbe  
 Sumptibus excoluisse suis, ornasse locumq;  
 Libertatibus ob tepidas absq; ignibus vndas  
 Quas Natura coquit feruentis sulphure Solis  
 Accenso radijs media telluris in aluo.  
 Talib. à Thermis non est procul vrbs mediocris  
 Slacconis authoris nomen de nomine primi  
 Accipiens, antiqua docent vt scripta vetustis  
 Obseruata locis. Addas cognomina Syluæ  
 Slacconis appellabitur hæc cognomine Sylua.

Patria

Patria chara mihi, miseræ cui debeo vitæ  
 Istius auspiciū, cui debeo deniq; cuncta  
 Que debere potest aliquis Natalibus oris.  
 Vallib. illa bis est amplis inclusa duabus  
 Quarum que prior est Schonfeldum attingit, eodem  
 Munere præclarum longeq; vetustius, à quo  
 Iura petunt alię, quibus est excudere stannum  
 Et labor & studium: quàm late Teutona turba  
 Et puteos telluris adit vestigat &, vrbes,  
 Turribus ac altis non est circumdata muris  
 Qui possent hostes arcere, repellere tela  
 Atq; laborantes intus defendere ciues.  
 Mœnia non illic, non propugnacula surgunt:  
 Non arces, quia pax in ea dominatur, & armis  
 Nullus ibi locus est: non hostes atq; tumultus  
 Barbara terra fouet, verum aurea tempora pacis  
 Dilligit & magnæ scrutatur viscera matris.  
 Est vrbs diuitijs toto notissima cœlo  
 Candida quàm spargit late sua lumina Phœbe.  
 Has neq; per fraudes aliquas artesue malignas  
 Vt fortasse solent alię, per aromata praua  
 Aut allata peregrinis per vellera terris  
 Per piper atq; crocum, quod Eois fertur ab Indis  
 Sed virtute sua vigiliq; labore parauit.  
 Dum terræ venas latebras & opaca recludit  
 Obscurisq; locis abstrusa perambulat antra:  
 Ac cita sub telluris agit testudine crebras  
 Ac infinitas fossas, mireq; profundas  
 Speluncas, vt ad Antipodum mox tecta domosq;  
 Oppositas nobis videatur posse venire  
 Vel Phlegetontæi tumidam Plutonis ad aulam.  
 Scilicet ex illa Schonfeldum versus ituris

*Schonfel-  
 dum oppi-  
 dum me-  
 tallicum,  
 prope Sla-  
 cennaldum  
 à Burſio de  
 Rieſenberg  
 conditum,*

Obuius

**H V B A** Obuius est tractu longo mons arduus: **H V B A M**  
*mons me-* Patria turba vocat, Non exhauribilis albi  
*sallicus.* Thesaurus plumbi, cererem è quo Teutones omnem  
 Haurimus bibimusq; siti impaciente coacti,  
 Ille suos grata dominos pietate beaurit,  
 Præmia proq; habitis dedit ampla laboribus annos  
 Ac adeo longos, adeo constanter, vt illi  
 Ne similem possis monstrare aut dicere, quibus  
 Fertilis innumeros habeas Germania montes  
 Auro famosos argento omniq; metallo.  
 Ac multis adeo fuit hæc fortuna secunda  
 Inferiore loco modicisq; parentibus ortis  
 Mœonios merito valeas vt dicere Croesos  
 Qui vel Dulichio prius Iro pauperiores  
 Extiterant: Adeo fortuna volubilis errat  
 Passibus ambiguis, namq; hunc modo deprimit, illum  
 Euehit, ac iterum cum vult detrudat eundem  
 In nimium miserat ex ampla sede ruinas  
 Exiit ac opibus bene quem vix induit amplis.  
 Quinetiam cuius ditioni est subditus, Heros  
 Cui dedit æraturum titulos & nomen aratrum  
 Iusticia nulli, nulli pietate secundus  
 Dexteritate, fide ac meritis ad sidera notus  
 Albi & Egra rigant quàm late flumina Bœmos  
 Scilicet ille etiam titulo dignissimus omni  
 Ex hoc innumeros thesauros monte recepit:  
 Effodiuntur enim vena quàm diuite nusquam  
 Istius è montis puteis diuersa metalla:  
 Horum candidius plumbum esse frequentius ipso  
 Hoc in monte solet: nusquam numerosius atq;  
 Dignius eruitur fuluo aut opulentiùs auro.  
 Ausones id norunt & Gallia tota fatetur

**GASPAR**  
*Pflugius*  
*Baro boe-*  
*mus, domi-*  
*nus in Pet-*  
*tissoio ac*  
*Rabenstei-*  
*no.*

Brachia

Brachia quàm late sua nobilis Adria tendit  
 Ac Antenorei diues fluit vnda Timauri  
 Qua fluit & Rodanus, quàm late Sequana Phœbi  
 Nobilitatus aquis Celtarum terminat agros.  
 Hi segregant stannum ac auri prædulce metallum  
 Diuite Vulcano flammis ac igne subactum.  
 Sed quæ causa Metallorum sit materiesq;  
 Id Sophiæ partim describunt dogmata nobis  
 Mentibus humanis partim DEVS indidit author  
 Cunctarumq; creator opum terræq; marisq;  
 Rector & ætherea princeps dominator in aula  
 Qui poenas statuit reprobis ac præmia iustis.  
 Stannum sulphuris est modici mixtura, leuisq;  
 Argenti viui. His accedit crassa vaporum  
 Materies è terra ortorum ac sulphureorum.  
 Hæc ita miscentur pulcre tellure sub ima  
 Ac solis radijs agitantur & igne coquantur  
 Aethereo, donec coalescat tale metallum.  
 Nam prisca veluti vates Sophiæq; Magistri  
 Commemorant testatur & experientia rerum  
 Terra metallorum est mater, quia continet illa  
 Ventre fouetq; suo. Titan pater, ille calore  
 Viq; sua vegetat sub terræ nata profundis  
 Viscerib. Generant naturam scilicet ipsi  
 Sulphur & argentum viuum: ex his omnia sunt  
 Quæ toto sunt generantur & orbe metalla.  
 Quorum quod prius est terra est subtilis & aer  
 Piguis: in effigiem solari lumine coctum.  
 Posterius terra est valde subtilis, aquarum  
 Assumens aliquid grauium. Ac vrentis id ipsum est  
 Sulphuris & solis feruente calore coactum.  
 Ex his omnia sub vasta tellure metalla

*Descriptio*  
*Stanni.*

*Causse effi-*  
*cientes me-*  
*tallorum.*

*Sulphuris*  
*descriptio.*

*Argent-*  
*uini descri-*  
*ptio.*

B Constantur, pto.

Conflantur, que sunt irritamenta malorum.  
 Et quo purius est sulphur, quo purius atq;  
 Argentum viuum, quanto & perfectius illa  
 Purgantur solis radijs, solisue calore  
 Omnia lustrantis, tanto solet esse metallum  
 Purius ac præstantius ac subtilius ipsum.  
 Hec noster quia pura nimis mons continet iste  
 Et prauis nihil admittit crassiq; vaporis  
 Ipsum etiam stannum tenerum solet esse, magisq;  
 Nobile, quam reliquis locis regionibus atq;  
 Mons recte iacet Eoos erectus ad ignes  
 Non syluis gaudens varietq; frequentibus antris  
 Expositus soli, fauo solisq; calori  
 Quo sic venarumq; viæ fibræq; coquuntur  
 Ut melius possint dein respondere colonis  
 Qui semper cupiunt, nunq; faciantur auari,  
 Hunc si conscendes fortassis amore videndi  
 Res & mirandas & visu ac nomine dignas  
 Tot noua scilicet & vetera instrumenta videbis  
 Totq; casas, quas verius & tentoria dices  
 In quarum medio funis ductarius urnas  
 Fortibus actus equis circum perducit ab imo  
 Ad summum putei decussio monte refertas,  
 Totq; moletrinas, fabricas tot saxa nouasq;  
 Res, quib. apta dari vix possunt nomina, quas nec  
 Viderunt veteres. Certe mirabere, quorsum  
 Talia pertineant, ad quos prosintue labores  
 Aut quibus vsibus instaurentur. Paulo videbis  
 Post, opera & studia ac adeo diuersa, nec vnq;  
 Visa sub hoc toto prius æthere. Scilicet illic  
 Turba metallica Persephones illabitur antris  
 Per puteos, & ibi fossas agit, atq; lapillos

*Situs Mon-  
tis.*

*Vocant has  
casas Gau-  
pel vulgo,  
et sunt in-  
star Tentorij.*

*Labores  
Metallici.*

**Excindit,**

Excindit, quos mox tractoria machina sursum  
 Virib. è puteo iuuenum rapit acta duorum  
 Siue trium. Videas sudoribus eruta saxa  
 In cumulum congesta pyram velut igne cremari  
 Atq; ita molliri vulcano, vt deinde minori  
 Possint contundi & tolerabiliore labore.  
 Grandia frangendo in tenues mutantur arenas  
 Saxa, reputantur que mox fluuiis vndis:  
 Sic que pondere sunt leuiora minusq; futura  
 Vtilia, absorbentur aquis: sed que meliora  
 Illa sedent imo (cum sint grauiora) barathro,  
 Atq; manent. Hec illyria pice sunt nigriores  
 Qui lapides fuerant prius amplæ molis, arenæ,  
 Que nigra sunt grauioraq; conseruantur, At alba  
 Ac leuiora molas extra congesta lacere  
 In tumulo videas, donec labor illa secundus  
 Perquirat, si forte boni quid inhareat: ac sic  
 Cuncta ad perfectum lauet ac examinet vnguem.  
 Nigra solent patulæ fornacis in igne liquari  
 Inq; albi plumbi massas ac frustra resolui.  
 Tales quotidie videas hic esse labores  
 Ac exerceri nullo non tempore ab illis  
 Contempta quos pauperie iuuat ire per altum  
 Et cum fortuna cristas æ tollere læta.  
 Nec secus incumbunt operi duroq; labori  
 Quam formicarum solet agmen, apumue propago  
 Paruula. Formicæ patitur dum temporis ætas  
 Dum calidi splendent soles, & gramina terras  
 Obducunt, flauisq; æstas exultat aristis:  
 Farra legunt, paruis humeris congestaq; grana  
 In terræ caueas notissima tecta reponunt  
 Pro se proq; suis, Gelidæ ne tempore Brumæ

B ij Quando

**Hassel.**

*Metallici  
eam lapi-  
dum con-  
gerie uul-  
go emen-  
rost uocant*

*Lapis stan-  
narius qui  
est nigra  
arena re-  
sistet in  
fundo; cet-  
tera alba  
er leuia  
absorbentur  
aquis.*

*Ex nigris  
arenulis,  
fit stannum.*

Quando breues soles & hyems glacialis eidem.  
Non instare sinunt operi, moriantur egenæ.  
Sic & apes æstate noua, dum plurima circum  
Floret ubiq; seges, tellus dum procreat herbas  
Et violæ molles & candida Lilla surgunt:  
Per summos voltant apices & singula libant  
Ac rorem cœlo lapsum succosq; suaues  
Floribus elciant, ex his fragrantia summo  
Mella labore legunt, in castraq; cærea trudent  
Et dulci tandem distendunt nectare cellas,  
Ignauumq; abigunt longo pecus ordine fucos.  
Sic etiam quorum foditur sudore metallum  
Conatu & studio nunq; cessante laborant  
Ignaros pelluntq; procul velut ocia amantes  
Atq; libidinibus Cereri Bachoq; vacantes  
Talibus ergo parum tantisq; laborib. aptos.  
Alter enim venas, extensaq; brachia querit  
Venarum, diuina sibi quas virgula monstrat  
Solis ad Eoos dum prouidus ambulat orbis  
Sollicitusq; videt quò inclinatura caput sit  
Paruula thesauri latitantis conscia virga.  
Alter emit partes fontæ, quas vendidit alter  
Atq; reliquit vt aut steriles, aut vtilitate  
Non respondentes operæ duroq; labori.  
Partibus his solet interdum ditescere spretis  
Cui placidam fortuna magis se præbuit, alter  
Pauperie qui nuper erat vel prestior Iro.  
Sic regit hos etiam cœli clementia montes  
Que certo duodena regit moderamine signa  
Atq; gubernat id omne sacri munimen Olympi.  
Alter agit fossas ac saxa metallica monte  
Decutit, Hæc alius multo sudore foramen

Ad

Ad putei trahit ac situlos ingentibus implet  
Molib. hos solet ex atris traxisse tenebris  
In patulas auras rudis ac robusta iuuentus.  
Que magno rurale solet resonare boatu  
Carmen, Stentoreaq; suis placuisse puellis  
Voce cupit. Phœbi ac Musarum ignara iuuentas  
Nata laboribus & rebus feruilib. illas  
Præposuisse solet Phœbo doctæq; Mineræ.  
Ac vtinam tali quoq; scrutaremur amore  
Scripta Prophetarum, Sanctorum dogmata patrum  
Verba voluntatemq; Dei: cœlestia nempe  
Ac sanctas animas facientia dia metalla.  
Que (quanto plumbum est argento vilius: aurum  
Dignius argento, præstantius & mage gratum)  
Tanto nobilitora auro argentoq; putari  
Debent à nobis & haberi. Quantaq; distant  
Inter se spacia hæc, tellus cœlestis & orbis  
Aeterno distant æternaq; gaudia luctu:  
Tanto absunt telluris opes, cœliq; metalla  
Inter se spacio: quanto lux atq; tenebræ  
Dura silex, fuluo radiansq; Chrysolitus auro.  
Nemo tamen miratur opes venasq; recludit  
Biblia quas monstrant superiq; volumina cœli  
Scripta Dei digitis. Istas rarissima turba  
Curat opes: terræ potius miramur honores  
Et quæ debebant nobis abscondita forsan  
Esse, voluptatum dum sunt fomesq; malorum.  
Hec nos eruiamus studio summoq; labore  
Sæpe in perniciem nostri quoq; sanguinis. Et q̄  
Cogitat id iam iam nimium rarissima turba?  
Natus Iessæa CHRISTVS de virgine, summi  
Filius ille Dei, cuius nos sanguine sumus

B ij

Participes

Participes vitæ, ciuesq; nouemplicis aulae.  
 Scilicet is sua dogmata nos noctesq; diesq;  
 Scrutari iubet & coeli cognoscere numen.  
 Scripturasq; vocat testes, quia testificentur  
 De se, de meritisq; suis, de morte perennem  
 Qua vitam peperit cunctis credentibus in se,  
 Hec si tu foderes etiam preciosa metalla  
 Patria clara, mihi nimium gratissima tellus:  
 Si scrutareris patrij mysteria coeli,  
 Ac res aethereas generis pia semina nostri:  
 Ah foelix esses nimium, nimiumq; beata,  
 Ergo agnosce DEVM vitæ rerumq; parentem  
 A cuius bonitate fluunt quaecunq; decori  
 Aut aliquid bonitatis habent. Hunc dilige toto  
 Pectore, & huic offer totam te. Scilicet ille est  
 Qui foecundat agros, venas telluris & omne id  
 Quod spectamus opus, q̄ late mundus vterq;  
 Solis lustratur radijs, lustratur & igne  
 Omnia quo totum redduntur viua per orbem.  
 Clara equidem es stanni seu candidioris aceruis  
 Perpetuis plumbi: DEVS autem conditor horum  
 Auferet hec à te prestantia munera, si te  
 Senferit ingrata meritum pro talibus esse.  
 Nam quot præclaras vrbes lugere videmus:  
 Amissum propter decus amissumq; metallum  
 Quo viguere olim, Quid si te poena maneret  
 Hec eadem, quod dñj potius tamen omen in ipsum  
 Conuertant. Ergo his exemplis docta Tonantis  
 Verba foue superi. Veniet mox temporis ætas  
 Vltima, cum terris qua corruet omnibus aether  
 Quicquid condidit & causæ sapientia primæ  
 Causarum merito que perfectissima fertur.

Ac vt

Ac vt cunctarum rerum, venit agra senectus  
 Mole sua quia nunc & maiestate laborat  
 Mundus & ingentem secum traxisse ruinam  
 Cernitur aëria cœlestis ab arce Tonantis  
 Sic quoq; (ne dubita, testantur id aurea cœli  
 Sydera & humanæ scelera & peccata cohortis)  
 Præ foribus telluris adest exhausta senectus  
 Nam se non adeo solet hec prebere benignam  
 Quam se præteritis foelicem præbuit annis.  
 Ergo aliquem vitæ finem est extare necesse  
 Istius, ac restare aliam, que longius istam  
 Vincat & exuperet. Magni tu conditor orbis  
 Hanc famulis largire tuis, largire ministris  
 Ad tua confugimus miseri qui templa, tuamq;  
 Imploramus opem, nostrasq; agnoscimus omni  
 Perfidia sordes ac impietate repletas,

## ENCOMION CAROLINARVM

Thermarum apud Boemos sub Slicconum  
potestate sitarum.

### VERSV HEROICO.

Phœbe pater vatum, doctarum Phœbe sororum  
 Et caput & princeps Sophiæ cœlestis origo,  
 Huc ades Aonijs rex ô pulcherrime fontis  
 Qui dulces bibis atq; regis Permessidos vndas  
 Hic vbi gramineis habitantia numina pratis  
 Pallas, Calliope, pulcreq; induta Thalia  
 Exercent artis genus omne, ac organa Nymphæ  
 Dulcia pulsantes, vario modulamine cantus  
 Textentes, blandis concentibus aëra mulcent.  
 Huc ades, huc inquam Parnasi magne sacerdos

Inspiratq;



Inspiratq; meæ vires ac robora menti:  
Vt patrias duce te valeam describere **Thermas**  
Quas alius cantare fuit vix hæcenus ausus.  
Si prosper venies ac diuite numine nobis  
Adfueris, dabo Phœbe tibi munuscula grata  
Formosam Cytharam miseri solamen amoris  
Cum fugiat te tantopere Peneia virgo  
Virgo animi dulcedo tui, tua curaq; **Daphne**  
Forſitan hæc grato vinces modulamine tandem:  
Eſt dulcis quam Phœbe dabo nimiumq; sonora  
Vix habuit noſtræ ſimilem **Troianus Iopas**  
Orpheus aut, cum **Tartareo** de fonte rediit  
Euridicen dulci **Cythara** ſiſibusq; canoris.  
Adſis ergo fauens, impelle furore recenti  
Quos habitas animos, linguamq; reſoluito noſtram.  
Tu quoq; **Pluto** ſenex iuuenilibus annue cœptis  
Forſitan iſte tui locus eſt bona portio regni  
Carmine quem celebrare rudi mea **Muſa** laborat.  
Forſitan **Eumenidum** thalamos & caſtra **Megeræ**  
Huc poſuit, qui cuncta **DEVS** moderatur, & iſtum  
Diuitibus diſtinxit aquis ac montibus orbem.  
Ergo ades & ſpectator ad hos accede labores  
Si forſan digno cecini tua **Tartara** plectro  
In quibus æternos olim paciere dolores  
Nunc **Erebi** princeps & rex **Phlegetontis** auari.  
Eſt locus in **Boemis**, vbi paruulus exit in **Egram**  
Depelii medijs **Boemorum** natus in aruis:  
Hinc atq; hinc montes adeuntes vertice cœlum  
Equibus innumeri fontes oriuntur & amnes  
Per mediasq; ruunt ingenti murmure valles  
Tandem **Depelii** feſſi ſociantur & **Egræ**.  
Non procul à tali coitu rex **CAROLVS** olim

Cum

Cum timidus lepores, ſæuos ſequeretnr & vrfos  
Dicitur inueniſſe locum, quo tetrior alter  
Non erat inuentus ſtygiocq; ſimilior **Orco**.  
Nam ſæuas quem forte feras latebrasq; ferarum  
Aut nemoroſa iuuat timidisq; obducta tenebris  
Peruia nec radijs ſolarib, antra videre:  
Ille frequens habitare locis debebat in iſtis.  
Non eſt figendis cervis locus aptior alter  
Nullus ad inſidias ita ab omni parte paratus,  
Omnes ſi tota luſtres tellure reſeſſus.  
Hic ego **Tartarei** Iouis eſſe cubilia credo  
Aut quas **Perſephonen** dicunt habitare cauernas:  
Sulphureis etenim ſic proſiliit ignis ab antris  
Et tales ædit ſonitus, velut **Aetna** coruſcis  
Ignib, æternum ſagrans ac ſulphure ſæuo  
Euomit è furuis horrenda tonitrua ſeptis.  
Ac quod inauditum fuit hæcenus omnibus oris  
Aduerſumq; aliquis naturæ crederet eſſe  
Qui non hæc oculis præſentib, antra videret,  
Hic è frigorig, medijs calidiſſima prodit  
Porrectas læſura manus crudeliter ambas  
Que ſuib, ſetas, **Gallinis** detrahit alas  
Corporibusq; cutem rapit vſa frequentib, horis  
Sed modice tibi ſumpta ſtatim tibi reddet eandem  
Vnda, leuians varios morbos variosq; dolores  
Quos vix curarent **Auicenna** potensue **Machaon**  
Si vel **Tartareo** forſan de fonte redirent,  
Sed que ſit talis ratio vel cauſſa caloris  
Ipa niſi hæc tellus, nutritrix materq; vaporum  
Queq; cauernoſis ex collib, eijcit ignes  
E calido natos intus prius aere multo  
Inliquidas qui ſic, calidasq; reſoluitur vndas:

C

Seu

Seu Phlegetontæi dat copia Sulphuris illum  
Quod nimio incensum motu solisq; calore  
Et gelidas accendit aquas in fontib. imis:  
Altera siue subest naturæ causa latentis  
Vt fortasse subest animis incognita nostris,  
Quisue DEVS nisi cunctipotens adiunxerit istas  
Vires, quæ possunt humanos tollere morbos,  
Nondum me docuit, que nos docet omnia Phœbi  
Filia ter veneranda, IOVIS soror, alma Sophia:  
Est immensa Dei & naturæ tanta potestas  
Omnia vt arte sua faciant, condantq; creantq;  
Nilq; adeo magnum, nil tam mirabile totus  
Cogitat hic mundus, quod non Natura valerent  
Et pater ille DEVS (si vellent forte) creare.  
Tanta Panomphæi est talisq; potentia cœli,  
Id quia mortales non ignoramus, auarus  
Defino naturæ scrutari diuinitis artes  
Quas voluit rigidis ignotas mentib. esse  
Qui regit hunc natum melliori robore mundum.  
Huic honor, imperium, decus, æternusq; triumphus  
Huic mare & huic totus perfecte seruiat orbis  
Quem pater æternus solenni condidit arte  
Cum nondum foret ignis edax, non humidus Aer  
Nec circumfusus tellus latitabat in vndis.  
Sed redeo ad Thermas: harum formamq; locumq;  
Naturas viresq; camœna commodiori  
Depingam, calamo fortassis & vberiore.  
Vos augusta loci venerandaq; numina: siue  
Vos habet Empyreï pulcherrima regia solis  
Seu tenet inferni sedes Plutonis alumnos:  
Hos ituenis vatis rogo fortunate labores  
Nam vestros canet ille lares vestrasq; superbe

Quas

Quas iactatis aquas, & quas habitatis arenas,  
CAROLVS Augustus, quartus prænomine tali  
Aurea quo duce Bulla fuit confecta, Pragensem  
Venit & Aonijs Phœbus rex fontis ad urbem.  
Ille pater Venczlæ tuus, super aurea notus  
Sydera, Thermarum præsentium amator & author.  
Ille Bohemorum cum forte erraret in oris  
Per nemora & sylvas, volucrum per iustra ferarum  
Vrgens satigerasq; sues, vrsosq; feroces,  
Veloce nimum ceruos, leporesq; timentes,  
Dicitur adduxisse viros, blandasq; puellas  
Vt colerentq; locum mandasse fideliter istum.  
Mox venere alijs alijs regionib. vltro \*  
Vt spectare loci naturam & munera possent.  
Hi cum vidissent calidas è fontib. vndas  
Promanare, loci super id dulcedine capti  
Mox quoq; constituere sibi sedesq; domosq;  
Et solitis distinxerunt rationib. illas.  
Condita sic varijs è gentib. vrbs mediocris  
Nomen ab inuentoris honesto nomine sumens  
Boemorum regi fuit annos subdita multos.  
Sed nunc Slicconib. fortassis Hypotheca facta  
Parens tota, suum fertur soluisse tributum.  
Hi (quib. imperium fuit hæcenus istius oræ  
Tocius, Egra suis q; late diffiuit vndis  
Postq; nominis ille sui migravit ab vrbe)  
Scilicet hi patriæ gaudentes munere terræ  
Multiplici thermas auxerunt commoditate  
Et varijs post inclusere canalib. vndas  
Sponte sua calidas. Ac balnea distribuerunt  
In quib. ægroti, claudi, scabiosaq; turba  
Et quandoq; graues morbos aut vulnera passi

C ij

Ac pleni

Ac pleni vicerib. sibi conuiuente videntur:  
Quiue cibos stomacho crudos nutrire putantur  
Aut alia fortasse incommoditate laborant.  
Nulla lues tanta est, nullus tam pestilis æger  
Quem præsens non vnda leuet vel parte doloris:  
Tantas indidit illa Dei prudentia vires.  
Vt taceam quòd & utilis est mulierib. illa  
Dum (quo concipiat) frigentem, promouet aluum  
Ac aperit, que vasa latens Natura creauit  
Idq; calore nouo ac imos referante recessus.  
Vera loquor: docet id rerum experientia testis  
Et doctrinarum Sophiæq; magistra fidelis.  
Sæpe viros vel Scythonia niue frigidiores  
Accendit, viresq; nouas ignemq; ministrans  
Reddidit è sterili foecundos agmine patres.  
Foemina sæpe prius sterilis, que mortua visa est  
Nec blandum potuit matris cognoscere nomen  
His vndis percocta velut, foecundior intus  
Facta, virum rursus formosa prole beauit.  
Tanta DEO sobolis cura est prolisq; creandæ:  
Hec Graijs olim si cognita terra fuisset  
Ve Galene tibi, ve docte Auicenna, Machaon  
Ve tibi, ve Chiron, sæui præceptor Achillis:  
Non vos tot loculos impleuissetis & arcas.  
Que medicina etenim vestris bene profuit annis  
Hec toto certe contempta fuisset in orbe  
Vana fuissetis tantum quoq; fabula vulgo.  
Sed pater ille DEVM vires abscondit easdem  
Dum viguere artes vestrae, dum nouerat herbas  
Quilibet, herbarumq; decus, causasq; dolorum.  
At nunc que latuere prius, pater ille DEORVM  
Extulit è tenebris in apertas tristib. auras:

Dum

Dum (qui debebant curam mortalib. agris  
Applicuisse, Machaonias sectarier artes)  
Consuluisse suo p'us consueuere lucello  
Quàm vel Apollineis vere insudare camœnis.  
Nec querunt teneras cognoscere certius herbas  
Quas vetus imprimis cognoscere turba solebat  
Et quas nunc quidam certe cognoscere docti  
Non secus exoptant, q̄ vel cupiebat auare  
Dædaleis Theseus sese explicuisse latebris.  
Nulla DEO maior cura est, q̄ nostra leuare  
Vicera, q̄ nostris morbisq; malisq; mederi:  
Tollere, quicquid & hec affert natura sinistra.  
Regem tantus amor nostri tenet omnipotentem,  
Hinc rerum dedit omne genus nouisse quibusdam  
Indidit & teneris præclaras mentibus artes  
Per quas astra, polos ac mundi arcana videmus  
Contemplamur & hos oculis propiorib. orbis  
Quos monstris pater ignotos agrestib. esse  
Decreuit, terræ cum fundamenta locaret  
Ornaretq; suam stellis ardentib. aulam.  
Cum vires Vulcane tuas posuisset in arcus  
Sublimes, liquidum postponens aera flammis,  
Cum graue telluris pondus clausisset aquis  
Collib. oceano, fluuijsq; onerantib. illum.  
Is dedit has etiam nobis cognoscere thermas  
Qui subiecta sumus mortali turba ruinae  
Et plebs heu nimium crudelib. obuia fati  
In casus miseros ac sæuas nata procellas.  
Huc ergo, huc moneo curras ægrote viator  
Qui fortasse iaces variorum pondere pressus  
Morborum, qui Tartarea vel peste laboras:  
Huc ades, Huc quoq; vos matres facilesq; puellæ

C in

Huc

**Huc properate senes, iuvenes castiq; mariti**  
**Qualiscunq; dolor vestros premit improbus artus**  
**Depopulatur & id formæ quod postulat vsus**  
**Huc agite: hec inq; vestræ loca commoda vitæ**  
**Eligitote, illi dum consuluisse potestis:**  
**Hic fessis requiem & solamina quærite membris**  
**Morborum varia quassatis pestilitate,**  
**Huc veniant, nodosa premit quos forte Chyragra**  
**Calculus aut quorum lacerat crudeliter aluum:**  
**Quorum verticib, male olens Alopecia inhæret**  
**Quos cruciat medica insanabilis arte Podagra**  
**Si tamen hi fortasse audent se credere lymphis,**  
**Huc etiam properent, stomachi quos nausæa vexat**  
**Gallica quos scabies Gangrena luesue molestat**  
**Aut infinito Satyriasis vlcere complet,**  
**Vel qui dira suo paciuntur tormina ventre**  
**Nec bene concoctas retinent in corpore mensas**  
**Acceptiue alia decumbunt labe veneni**  
**Que de Pandoræ descendit pixide sæua**  
**Aut ad nos est consilijs demissa deorum,**  
**Hi querant quas hic describimus ordine Thermas,**  
**Nullius vlceris est ratio tam casta salutis**  
**Quam curet non hec aliqua tantummodo parte**  
**Igniuomo velut erumpens calida vnda Vesuo.**  
**Que si posset adhuc vnum sanare dolorem**  
**Scilicet ære carens quem fert mantica, domusq;**  
**Pauperis alta trahens suspiria semper egestas**  
**Qua pia præcipue Phœbi nunc turba laborat**  
**Vates atq; Sophi: pars semine nata DEORVM.**  
**Hac si nos posset scabie hec quoq; lympa leuare**  
**Esset ter foelix aqua & omnib, anteferenda**  
**Quos vel castalios fama est extare liquores**

Quos

**Quos vatum veneranda cohors, quos diuus Apollo**  
**Pallas & alma Diana bibunt Cythercea Venusq;**  
**Actanti faciunt, vt & inter numina cœli**  
**Sanctorumq; animas habitatoresq; Polorum**  
**Hos numerent, qui gustarint Aganippidos vndas.**  
**Has mihi Phœbe pater dederis si forte videndas**  
**Aut quoq; gustandas (quid .n. vidisse iuuabit)**  
**Conabor patrias, meliori carmine Thermas**  
**Nobilitare, decusq; tuum, fontemq; beatum**  
**Quo non est alius toto tibi gratior orbe**  
**Quem circa tua sacra solent luisse decenter**  
**Numina, nata olim cerebro IOVIS omnipotentis,**  
**Plura equidem volui narrare, sed audio vocem**  
**Que me alias iubet ire vias. Tu Phœbe valeto**  
**Et tu chara mihi patria & nimis optima tellus,**  
**Te faustos numerare sinant longosq; DEORVM**  
**Fata dies, & te tempus tueantur in omne,**

**DE HIS IPSIS THERMIS SCRIPSIT ALI-**  
**quando generosus ac illustris dominus, BOHVSLAVS**  
**ab Hassenstein Baro Boemus, doctissimus &**  
**summæ experientie Heros, Vladislai**  
**regis consiliarius, &c. sequens**  
**hoc Heroicum.**

**Fons Heliconiadum merito celebrande cohorti**  
**Vnde tibi calidi latices venæue meantes**  
**Sulphuris, aut viux (dictu mirabile) calcis**  
**Per terras: Syculamne ignis qui prouocat Aetnam**  
**Id facit: an stygii forsan vicinia Ditis**  
**Has te fecit aquas: Balarum littora cedant**

Atq;

Atq; Antenoreum prospectans vnda Timauum  
 Et quæ cœruleo confurgit proxima Rheno  
 Nobilitata tuo sanctissime CAROLE regum  
 Interitu. Quantas emittit in aera bullas  
 Aspice, q̄ varie lapides & marmora pingit  
 Per quecunq; fluit: Vix ipsa colorib. Iris  
 Collucet totidem. Fœlix per secula mana  
 Fons sacer, humano generiq; salutifer esto.  
 Redde seni validas vires, pauidæq; puellæ  
 Formosam confer faciem, morbisq; medere  
 Omnib. Et patrias accedat latior oras  
 Quisquis in hac lymphæ fragiles immerferit artus.

GASPARIS BRVSCHII, ELEGIA  
 RVM AC EPIGRAMMATVM LIBBR.

AD MVSAM, QVAM ABLEGAT AD  
 Pettissouianam arcem in Boemiæ  
 aditu sitam.

Hactenus ad varias terras mihi missa Thassa  
 Ad varias vrbes ad variosq; locos.  
 Indue rursus eas semper quib. vteris apte  
 Compositas vestes blanda Thassa tibi.  
 Utq; magis placeas ac possis gratior esse  
 Illi, ad quem mitto te mea chara soror:  
 Fac caput exornes prius hoc Daphneide lauro  
 Nam tibi tale decus Cæsar habere dedit.  
 Utq; locum perchara scias ad quem properandum  
 Sit tibi, Fac teneas hec mea dicta bene.  
 Non ego te cupio Garamantas adire vel Indos  
 Nec Tartesiaci regna vetusta maris,

Non

Non volo Bistonij te querere sceta Tyranni  
 Que nostro semper castra cruore madent.  
 Sed qua Piniferis delapsus ab Alpib. EGRA  
 Ad Boiemorum ditia regna fluit.  
 Hactu chara mihi nimum properato Thassa  
 Perfer & ad dominum carmina grata meum.  
 Si tituli meminisse nequis bene, cogita aratrum  
 Nam clarum a duro vomere nomen habet.  
 Quod mihi prænomen pater & Baptisma dederunt.  
 Contigit & domino cui dabis ista meo.  
 Pectore præsentis fac sis: pauidumq; timorem  
 Abijce: nil facies ista furoris habet.  
 Dotib. iuuenies varijs Heroæ decorum  
 Musarum patrem, religionis auum,  
 In vultu probitas animi certissimus index  
 Conueniensq; pudor dexteritasq; sedent.  
 Si bellatorem patriæ quoq; postulet vsus:  
 Non Paris, inuicta mente sed Hector erit.  
 Consilijs pollet varia experientia & arte  
 Quam natura dedit diues habere viro.  
 Mens inuicta suo veluti Marpœsia cautes  
 Robore stat, quemq; nec metuisse solet.  
 Si venies etiam cultæ penetralia ad arcis  
 In quib. & dominæ, virginitasq; sedent,  
 Non huius poterit cursus habitiq; laboris  
 Emensæ nec te poenituisse viæ.  
 Ne dubita: omnib. es gratissima nempè futura  
 Quos habet arx domini ter memoranda mei.  
 Occurret pleno tibi mox Chirnbevggius auro  
 Excipiens dulci te mea nympa mero.  
 Is qui falcatum nuper mihi contulit ensen  
 Dixit & hunc, nostri pignus amoris habe.

D

Mox

GASPAR  
 Pflug. Do-  
 minus Pet-  
 tissonij de  
 Rabenstei-  
 nij.

Georgium  
 Chirnbevg-  
 gius Pan-  
 nonius, Cæ-  
 cellarium.

IOANNES Mox ENTNER VS erit Bachi quoq; munere præfens

ENTNERUS Et reliqui nostri tota caterua chori.

Sacellanus Sympolijs aderit vestris LAURENTIUS Hospes

& Secre- In cuius diues gratia voce sedet.

tarium. Hunc puto cantantem mirari posset Apollo

Forte & cum Cythara cederet ille sua.

Laurētius Qua flectit placidis animantia sensib. orba

Suallenber Qua sylvas, montes, saxaq; dura trahit.

gerus scri Sæpius vt memini te chara Thalia videre

ba. Cum fieres primum nota Thalia mihi.

Neuē viros iubeam te tantum accedere claros

Consilijs, armis, vitib. ense, manu.

Inuentes & in hac, formosas arce puellas

Et regum dignas Cæsaris atq; thoris,

Has dabit ENTNER VS tibi chara Thalia videndas

In nostra ENTNER VS primus amicitia.

BARBARA Prima manus nitescas tibi BARBARA porriget illa

foror D. Que domini foror est BARBARA pulchra mel.

GASPARIS Hac nihil inueni vidiq; modestius vnq;

Pflug, Ba= Hinc vel Regis erat digna puella thoro.

roniffa. In vultu pudor, in lingua prædulcia mella

In reliquo summus corpore splendor inest.

Cum loquitur fortasse viris iuueniue, decenter

Ad terras oculos deijcit illa suos.

Si loquitur, blandis loquitur sermonibus, ore

Nil vel fauicia vel leuitatis habens.

Si compellabis, dextram tibi porriget vltro:

Tum modice dextrum tu quoq; flecte genu.?

Talium. n. mentes dominarum totaq; corda

Scilicet hi mores conciliare solent.

Nam multis oculis & acuto lumine, vere

Quid quenq; deceat dedecatq;, vident.

Sæpius

Sæpius hinc qui colloquijs vult talib. vti

Exemplo discat cautior esse meo.

Nafonemq; legat morum vitæq; magistrum

Is nos morib. his instituisse potest.

Fac sis ergo memor iustorum chara meorum

Ne rigidum te quis rus coluisse ferat.

Si querit fortasse etiam generosa puella

Qui viuat dominus qui valeatq; tous.

Dicito me recte foeliciter atq; valere

Corpore: sed loculum vulnera sæua pati.

Ridebit: blanda pro me quoq; voce rogabit

Fratrem, vt det studijs munera parua meis.

Non credis, quantum faueat virtutib. illa

Morib. ingenuis litterulisq; bonis.

Ac vbi discedes iterum, reuerentius ora

Vt commendatum me sinat esse sibi.

Siquid habent artis mea carmina siue decori

Siquid neruorum est ingenijq; mihi.

Certe ego ad ornandos patriæ proceresq; patresq;

Conferam & ad laudes BARBARA diua tuas.

Te sinat ille DEVS longos vixisse per annos

Quem tu tanta animi religione colis.

Scilicet is toti semper qui præsidet orbi

Omnia in omnib. ac trinus & vnus agit.

Verum ad te redeo mea cura & sola voluptas

Nepenthes cordis blanda Thalia mei.

Perge ita perge precor reliquas inuisere Nymphas

Arx quarum dabit hec ora videnda tibi.

Aspicias Helenas forma, ciuilib. autem

Morib. Ausonias Dardaniasq; nurus.

Quas si cerneret & Latous amaret Apollo

Talis inest formis gratia, tale decus.

D ij

O Vtinam

**O** vtinam tecum mihi tulla tecta liceret  
 Ac saltem dominum visere Musa meum.  
**Bis** ego sex vellem menses caruisse Iyco  
 Ac bibere insipidas indubitanter aquas.  
**Prima** salutabit te vultibus **VRSVLA** blandis  
 Teutona que nitidæ nomina vallis habet.  
**Hanc** ego Scythonijs nsiuib. si candidiorem  
 Dixero, crede mihi, dixero vera nimis.  
**Tantus** inest cultus tamq̃ admirabilis illi  
 Arbitrer vt dignam principis esse thoro.  
**Nam** si os purpureum niuea cum fronte videbis  
 Marmoreum collum, marmoreasq̃ manus.  
**Iurabis** te non humana fronte puellam  
 Cernere, sed nympham coeliuagamq̃ deam:  
**Hanc** penes aspicias generosa mente **SOPHIA M**  
 Qua toto vidi pulcrius orbe nihil.  
**Vidi** ego præclaras varia in regione puellas  
 Vidi quas Albis Rhenus & Ister habent,  
**Francia** quas Bachi ter sacro munere foelix  
 Quas habet & cultas terra Sueua **DEAS.**  
**Verum** hanc que forma vincat seu morib. aptis  
 Visa equidem totò non fuit orbe mihi.  
**Heu** quales vultus, q̃ lactea colla, genæq̃  
 Purpureæ, molles q̃ teneræq̃ manus.  
**Nil** magis eximium nihil ore decentius isto  
 His oculis notum contigit esse meis,  
**Si** Paris hanc olim Phrygia vidisset in Ida  
 Hesperidum Veneri non data poma forent.  
**Hec** formæ laudes, hec aurea dona tulisset:  
 Et fortasse ita nec rapta Læna foret.  
**Laomedontæ** starent quoq̃ moenia Troiæ  
 Moenia Græcorum diruta tota manu.

His

**His** aderunt etiam, formosæ frontis **ELYSA**  
 Charaq̃ præcipue paruula **CATTA** mihi,  
**Scilicet** has omnes blando sermone saluta  
 Ac amplectere: si sic locus aptus erit.  
**Si** quoq̃ contigerit dominas te forte videre  
 Quas habet interior numina bina domus.  
**Quarum** nomine prima suo Theodora vocatur  
 Mater & est domini ter veneranda mei.  
**E Ranspurgeni** clarissima foemina stirpe  
 Insignis vitæ religione suæ.  
**Exemplar** morum, vitæ mellioris imago  
 Gloria foeminei normaq̃ certa chori.  
**Alter** laudato Schaumburgi à stemmate nata  
 Verbo appellatur Magdoliona suo.  
**Scilicet** hec domini sola est ac summa voluptas  
 Vnica dulcedo ac vnica cura, mei.  
**Hec** prædulce patris docuit cognoscere nomen  
 Hec dulcis thalami pignora chara parit.  
**Forma** non vlli est è virginitate secunda:  
 Corporis est series parua sed apta tamen.  
**Morib.** est teneris blandoq̃ affabilis ore  
 Pauperie pressis anchora firma calis.  
**Has** inq̃ dominas si forte videre licebit  
 Esto verecundus morib. ore, manu.  
**Hisq̃** salutatis breuiter, reuerenter & apte  
 Vt mihi sint semper numina blanda, roga.  
**Has** ego crede mihi citius non desinam amare  
 Quam mors in casses me trahat, atra suos.  
**Has** immortales facient mea carmina spero:  
 Alterius quid enim carmina laudis habent.  
**Sic** Maro Tyndariden canit amissamq̃ Creusam  
 Cassandrum, Graias, Hesperiasq̃ nurus.

D iij

Andromachenq̃

Dorothes  
 à Rana  
 spurg Baa  
 ronissa.

Magdale-  
 na à Scha-  
 umburg,  
 comitissa.

Andromachenq; piam, Phoenissam Annamq; sororem  
 Que Rutulis & opem Volscæ Camilla tulit.  
 Abstulit has dudum sæuo mors impia telo  
 Ac superest harum gloria & omne decus.  
 Sic dominumq; meum, charam dominicq; sororem  
 Ac totum genus hoc secla futura legent.  
 Idq; meo merito, meritoq; Poeseos almæ  
 Que pestum claros non sinit ire viros.  
 Hoc domino promitte meo, suppliciq; precare  
 Pectore, Mœcenas vt velit esse meus.  
 Ipse sit Augustus scelix, ego paruulus esse  
 Ipsi vel Maro vel Naso poeta volo.  
 Hec vbi pro monitis ita feceris omnia nostris  
 Ac dabis hec domino scripta legenda meo.  
 Expecta, dabitur responsio commoda forsan  
 Que data si fuerit mox properato domum:  
 Ac si rettuleris responsa fidelia nobis.  
 Semper eris nobis chara Thalia. Vale.

PRECATIO AD DEVM, ET  
 CHRISTVM DEI FILIVM.

Cœli summe parens, stellarum rector & author  
 Qui pedib. nubes premis & regis omnia nutu  
 Que superant lunam & luna sunt inferiora:  
 Aequi tu pater es: tu iusticiæq; boniq;  
 Author defensorq; manes per secula cuncta.  
 Ac stabili manet hec fati sententia semper  
 Aegre tota licet ferat id turba infera, seq;  
 Talib. opponat decretis mille per artes.  
 Ergo ego te pater alme precor, teq; vnice fill  
 Christe Deus, generis nostri miserate laborum.

Da mihi

Da mihi iusticiæ sanctas cognoscere leges.  
 Ac verbi monumenta tui perdiscere: mentem  
 Sic moderare meam, ne forte superbiat illa  
 Verum accepta tuæ ferat omnia dexteritati,  
 Est grauis & via difficilis, qua infraula conor  
 Ad diuinarum penetralla tendere legum.  
 Sed tu Christe viam (cum sis via nescia prauil  
 Erroris) monstrato: potes: mihi commodiorem  
 Meq; per Oceanum hunc per duraq; saxa per ignes  
 Duc per sudoris genus omne ad dulcia tandem  
 Gaudia, & opratum sine me contingere littus.  
 Nam potes hec præstare ac his maiora: potestas  
 Omnis n. seruire tibi solet atq; parenti  
 Cum quo tellurem pelagus stellasq; gubernas  
 Quicquid & hic in se totus complectitur orbis.

EPITAPHION IOANNI SIBENHARIO ME-  
 dico ac Astronomo, socero suo positum.

Qui quondam medicas tractabas fortiter herbas  
 Ac obseruabas astra decusq; poli.  
 Hic vbi aquas intrat leni agmine Danubianas  
 Blauus ab eiusdem nominis vrbe fluens.  
 Iam duplici cura es dupliciq; labore leuatus  
 Postq; te mortis sustulit hora senem.  
 Namq; tibi ad patriæ cœlestis regna profecto  
 Nullus erit morbus nulla timenda lues.  
 Preterea nosti nunc omnia certius astra  
 Que te infiniti vix docuere libri  
 Illa vides iam principe demonstrante DEORVM  
 Cuius sunt sancta sydera facta manu.  
 Vtue senex venerande, DEVS per secula mille  
 Spectatorem operis te sinat esse sui.

Blauus Vl-  
 ma coit cū  
 Danubio.

Anna



ANNAE SOCRVS SVAE  
TVMVLVS.

CHVNEGVNDIS FILIA LOQVITVR.

Pro multa pietate, mihi dulcissima mater  
Proq; fide & casta simplicitate tua.  
Pro meritis quib. ornasti patremq; tuasq;  
Nos gnatas, donis consilijsq; pijs.  
Hoc tua gaudebunt castissima membra sepulchro  
Quem manib. statuo mater amanda meis  
Plura ego non possum: sed CHRISTVM exhortor  
Ut patriæ tibi det dulcia regna suæ. (IHESVM,  
Illic conuenies charum mihi spero parentem  
Iam contemplantem signa decusq; poli  
Aspiciasq; mei bis sex ibi pignora lecti  
Coram cœlesti hinc inde volare choro.  
Aspicias fratresq; meos charumq; maritum  
Hosq; salurabis nomine rite meo.  
Viuatis vos æthereo cum principe: cuius  
Mox spero intuitu me quoq; posse frui.

BARBARAE DVLCISSIMAE  
matris suæ apud EGRAM ciuitatem Bo-  
hemicam sepultæ, tumulus.

Hic tu chara facies crudeli peste precepta  
Fouisti gremio que mea membra tuo.  
Ah oculis ignota meis charissima mater  
Ac ipso tantum nomine nota mihi.  
Que tumida me gessisti pia mater in alio  
Oraq; nutriti paruula lacte tuo.

O vtinam

O vtinam superesse tibi tot fata dedissent  
Quot vixisse mihi fata dedere dies.  
Vidisses caput hoc viridi fulgere corona  
Quam dedit ingenio Cœsarisaula meo.  
Vidisses me sæpe libris sudare legendis:  
Qui gemini tradunt IVRIS vtramq; viam.  
Vidissesq; illam mihi que velut altera mater  
Intrauit thalamos nupta pudica meos,  
Plurima vidisses etiam contingere gnato  
Que iucunda mihi & grata fuere parum,  
Hæc quia non mecum potuisti chara videre  
Rapta sed ex oculis es velut vmbra meis,  
Cœlestes oro diuos, natumq; patremq;  
Ut genij mihi dent ora videnda tui.  
Tunc vbi nostra caro turpi de puluere surget  
Extremi properans ad loca iudicij.  
Audiet & dominum qui tocius arbiter orbis  
Astra dabit iustis, Tartara scœua malis.  
Tunc ego te mediam flagranti amplectar amore  
Tunc ego mille dabo basta grata tibi.  
Tum narrabo meæ seriem vitæ studijsq;  
Quid tulerimq; boni, quid tulerimq; mali.  
Tu mihi narrabis cœlestis gaudia vitæ  
Coelos, astra, deos, angelicosq; choros.  
Et quia vidisti dudum decus omne polorum  
Tu sis horum docta magistra mihi.  
Tum quos coniunctos vita mors noluit esse  
Coniunget vita prosperiore DEVS,  
Interea tu chara parens requiesce: DEORVM  
Rex gremio foueat te regat atq; suo.

IOANNI BRVSCHIO PARENTI SVO.

B Qui

Qui de Maieſtate DEI patris omnipotentis  
 Ambigit, aut dubitat numen inefſe poſo.  
 Diuerſos videat vultus hominumq; figuras  
 Ac mage diuerſum his dicet in orbe nihil.  
 Si centum videas totidem cum millib. ora:  
 Vix cernes ſimili facta tenore duo.  
 In quib. os ori bene correfpondeat: aut ſit  
 Non vel frons tantum diſpare nata modo.  
 Hec oris ratio diuerſo condita vultu  
 Teſtatur, quantus ſit pater ille DEVS.  
 Tot formas etenim tam diuerſasq; figuras  
 Artifici poterit pingere nemo manu.  
 Viueret & ſi Couſ adhuc fortaiſis Apelles  
 Id preſtare ſua non tamen arte queat.  
 Et quia tanta DEI patris eſt vis atq; potetas  
 Perpetuæ debet laudis honore cani.  
 Hinc bene me genitor pietatem hortaris ad iſtam  
 Qua nec erit regi gratior vlla DEO.

IN ICONA IOANNIS BRVSCII  
 patris ſui.

Qui videt hos vultus, hec contemplatur & ora  
 Aſpicit & canos caſariemq; tuam.  
 Si quid iudicij ſuper eſt vel pectoris illi  
 Sanctum te dicet nempe fuiſſe virum.  
 Non errabit &: omnem etenim conſumere vitam  
 Es ſolitus ſacros peruoluendo libros.  
 Ac varias q̄uis terras mercator adibas  
 Cognouiſſe tibi cura erat vna DEVM.  
 Hinc ſacros tecum ſemper geſtare ſolebas  
 Quos enoluebas nocte dieq; libros

IN ICONA IOANNIS STIGELII  
 POETAE,

Fertilibus

Fertilibus genuit quem clara Thoringia campis  
 Terra Lycaonio culta ſub axe iacens.  
 Quem puerum blandæ Phœbi docuere ſorores  
 Dignum Caſtalijs ſcribere carmen aquis,  
 Qui peperit virtute ſua ſibi nomen & arte  
 Hic vbi Saxonicos perfluit Albiſ agros.  
 Sapius Anglorum quem rex donauerat & rex  
 Vitro inuitarat Cymbrica terra tuus.  
 Et quem Saxonix princeps Elector amauit  
 Sæpius affectit muneribusq; ſuis.  
 Quem iuſto veræ ductus virtutis amore  
 Nobilium voluit Cæſar inefſe choro.  
 Auxit & omnigenis mox libertatib. vitro  
 Germanus quarum munere gaudet eques.  
 Quem ſchola Saxonico qua nulla frequentior orbe eſt  
 Audiſt Aonijs ſcripta docere gregis.  
 Quinq; forent illi cum nondum luſtra peracta  
 Integro inuenis robore talis erat.  
 Illius ora vides ex illi picta tabella  
 Ora ſacro Clarij lota liquore DEI.  
 Mentem pingere vix Couſ potuiſſet Apelles  
 Que tamen eſt ſcriptis iam tibi nota ſuis.

AD CHRISTOPHORVM A LINSTAV  
 Mechelburgenſem.

Si te coeleſti de religione loquentem  
 Audio & athereos commemorare deos.  
 Si doctas laudare ſcholas & munera Phœbi  
 Audio te dignis enumerare modis.  
 Non poſſum non te mirari, & tollere laude  
 Virtutes animi corporis atq; tui.  
 Stemmate nobilis, inuictis præſtantior armis  
 Corpore magnus es, at nec pietate minor.

E ij Si multos

Si multos ea vita tibi similesq; paresq;  
Cerneret antiquum stare vbiq; decus,  
Gentes & populi concordia pace coirent  
Florent summi dogma fidesq; DEI,

IN ICONA CHVNEGVNDIS  
vxoris suæ.

Desine flere quod est adeo brevis ista voluptas  
Et pede tam celeri vita quod ista fugit.  
Sed gaude, quia nos coeli properamus ad aulam  
Vita in qua nobis nescia mortis erit.  
Et migramus ab hac que plena est pestilitatis  
Terra, DEO fidum que finit esse nihil.

AD ALBERTVM CRANZ,  
Hamburgensem.

Serta puellarum casti argumenta pudoris  
Quin & virginei publica signa chori.  
Tradita sunt ALBERTE tuæ gestamina genti  
Nec temere Cæsar qui dedit ista, dedit.  
Admoneant ea te vitæ q; fluxa sit hora  
Istius, & fragili quantum eat illa pede,  
Cernis vt intereant fragrantis lilia flores  
Vtq; decens rosa, mox marcida facta cadat.  
Vt pereant violæ, pereat Narcissus & Herbæ  
Omnes & culti gramina queq; soli.  
Hinc recte facis Aonias nectendo corollas  
Phœbi absoluere quod niteris omne decus.  
Discis Apollineas blandissima numina Nymphas  
Quicquid & ipsarum docta catena docet.  
Hinc præclara tuæ continget gloria genti  
Nomen & eximium fiet vbiq; tuum  
Illa solent florere diu ac marcescere nunq;  
Virginea vere condita sarta manu.

AD

AD IOANNEM ENTNERVM.

Si finitor es, amplector cognominis omen  
Fine nihil melius commodiusq; bono.  
Sive voceris anas, & anis de nomine nomen  
Sumpsisti forsan, vt tua signa monent.  
Fac ne te immergas furibundo sæpe Lyæo  
Nam caput efficiet mersio multa graue.

BENEDICTI SIBENHVNERI, CONSVLIS  
Schonfeldensis, Symbolum.

Hic amat in Venerem pronas facilesq; puellas  
Alter amat liciti gaudia casta thori.  
Thesauros colit alter & auri pondera facti  
Et multorum oculos marmora pulcra mouent.  
Ac, licet illa mihi placeant quoq; dona Lyæi  
Omnib, his soleo præposuisse tamen.

ANGVSTIÆ SVNT VNDIQ; VE,  
Georgij Chriennbegij, Symbolum.

Ad solis quamcunq; plagam perueneris, illic A.  
Sæuas ærumnas & mala multa vides. S.  
Vana hominis mens est, que vitam querere dulcem V.  
Audet in hac mundi pestilitate graui.  
Solis ad occasum curras si, Solis & ortum  
Vanam spem tamen hanc experiere tuam.  
Ærumnis & tristitia sunt omnia plena,  
Summos hec etiam tristitia fata manent.  
Virib, ac potius Boreas excindere quercum  
Aut vltimum: violas q; solet ipse leues.  
Sic homines etiam que seua pericula cunctos  
Vexant, ad summos sæpius ire solent.

VALENTINO CLERLIONI.  
Fide DEO, quicumq; cupis bene viuere: quicquid  
Vitaq; fert animo fac paciente feras.

E iij

N0

Nil adeo aduersum est, quod non patientia frangat  
Hec etiam stygias vincere possent aquas.  
Ac nemo est adeo fatis immeris iniquis  
Quem reuocare Dei non manus alta queat.

FAVBANT QVI VOLVNT, SYMBOLVM  
Mycali Baumanni.

*Factor Dei*

Quid moror hunc mundum diuino semine natus  
Cum mihi protector sit pater ille DEVS.  
Qui uolet, ille meis faueat successib. opto:  
Qui nequit, is socius desinat esse meus.  
Nulla potest homini maior fortuna venire  
Quam si clementem possit habere DEVM.

SYMBOLVM ANDREAE CASTNERI.

Quod tibi corde cupis fieri vel mente fideli  
Id quoq; tu reliquis exhibuisse uelis.  
A quo non laedi cupis, hunc laesisse caueo:  
Qui te diligit, hunc te quoq; amare decet.  
Ista DEI patris est ter suspicienda uoluntas  
Hanc neq; Tartareus frangere Pluto potest.

STEPHANO HVILERO, BVRGVNDIONI  
medicinæ Doctori.

Inuestigator medicarum STEPHANE rerum  
Cultor Apollinei STEPHANE docte gregis.  
Si sunt ut quidam nuper dixere sodales  
Tradita iudicio carmina nostra tuo:  
Si sunt forsan & hec que continet iste libellus  
Digna patrocini carmina nostra bono.  
Facea cognoscat per te sacer ordo Senatus  
Utq; legat vatem patria tota suum.  
Istius in sacro castas Helicone sorores  
Officij memores ex periere, vale.

THOMAE IANO SVO.

Tu quoq;

Tu quoq; Pagasæ non vltima fama cohortis  
Semper Apollineis dedite lane libris.  
Hec mea scripta uelis animoso Marte tueri  
Que vix integra sic liuida turba sinet.  
Scis rudis ingenium plebis, scis vulgus ineptum  
Ut solet id miris carpere nostra modis.  
Huius iudicium facile contemnere discam  
Si tua forsan erit Musa patrona mihi.  
Viue, vale: & nostri semper memor, optime lane  
Dij seruent vitæ stamina firma tuæ.

QVI EX DEO EST, VERBUM DEI AVDIT.  
In gratiam GASPARI Preseri.

A cello sua qui deducunt semina coelo  
Aut quos æterni condidit aula DEI  
Hi cupiunt audire DEI quoq; dogma fidemq;  
Que nobis monstrat rursus ad astra viam.  
E contra stygiæ que debita turba Megeræ est  
Non audire Dei dogmata casta potest.  
Sed fauet illecebris mundi, contemnit honestas  
Doctrinas, vafro spernit & ore DEVM.

FORTVNA IN CRIBRO, IN GRATIAM  
HIERONYMI Eobani Hesi.

Est fortuna mihi in spacio plurima cribro  
Ac adeo densa ut vix penetrare queat.  
Sed te diua precor dubio que volueris orbe.  
Qua magis inconstans nil videt ille DEVS:  
Ut facili penetrare sinas pede pessima quæq;  
Que vitam possint lædere fata meam.  
E contra superesse sinas bona plurima que sint  
Vitæ ornamentum grande decusq; meæ.  
Si fautrix rerum fueris fortuna mearum  
Ac fueris coeptis non inuisca meis:

Polliceor

Polliceor iuuenem forti tibi corpore fortem  
Ut tecum in thalamis dormiat ille tuis.

SPES MEA CHRISTVS, IN GRATIAM  
IOANNIS Negelini Vlmensis

Speret is in vires robusti corporis: alter  
In multas & opes diuitiasq; graues,  
Speret in Heroes, qui vult quoq; forte ducesq;  
Me sola in CHRISTVM spes alar atq; fides.

SINE OPE DIVINA CORRVPNT HVMANA,  
In gratiam THEOBALDI Theodorici  
Argentiniensis.

Quicquid in humanis reb. natura creauit,  
Corruet, ac misera clade peribit iners,  
Ni vetet id qui cuncta DEVS ratione gubernat  
Temperat & nutu fata polosq; suo.

VICTORIA CVRAM AMAT, IN GRATIAM  
FRANCISCI Rencheri Frisij.

Vt res omnis amat curas ac indiget illis  
Non secus ac Solis lumine mundus eget,  
Multiplices ita dulcis amat victoria curas:  
Curam adhibe & fausto numine tutus eris.  
Sæpe ego sollicitas hominem contemnere vidi  
Curas, poenituit quem quoq; sæpe sui,  
Quisquis habes, quod amas, curas adhibeto seniles  
Ne dubita, diuum munere victor eris,  
IN GRATIAM LVDOVICI  
Varenbuleri.

Quid iucundius est poterit vel gratius vsq;  
Esse, vetustatis q; meminisse piæ.  
Sæpius aut exhaustorum meminisse laborum  
Quid tulerisq; boni quid tulerisq; mali.

Ac pereat,

Ac pereat, quicumq; vetat, meminisse quid olim  
Feceris & vitæ quis fuit ordo tuæ.

Qua quondam Aonias adamaris fronte sorores  
Et quas constantes senseris esse magis.  
Cur non ista iuuent, que sunt dulcedine plena  
Quando immitia vel deteriora iuuant.

BREUIA ET BONA, IN GRATIAM  
MELCHIORIS à Klein.

Vt breuitate nihil succincta est pulchrius vsq;  
Sic breuia imprimis sic bona cuncta colo.  
Sic breue carmen amo quadam dulcedine præstans:  
Dulcia nam breuib. semper inesse solent.

IN GRATIAM M. IOANNIS  
Meyeri, Bernensis.

Fraudib. inuidiaq; vacant domicilla Phœbi  
Sed non candore & dexteritate vacant.

Quisquis Apollineas circumfert mente sorores  
Pectore candorem versat & ille suo.

Ille quibuslibet ingenio succurrit aperto  
Subuenit integris commodat atq; bonis.

Qui spernit Phœbi monumenta, Bitumine certe  
Nigrius Illyrio pectus & inguen habet.

DOMINVS PROPE, IN GRATIAM  
M. IOANNIS Vtrici Vuellendingeri.

Quid timeo furtas & saua pericula mundi  
Quid duræ metuo tela cruenta necis?

Quid carnem moror hanc peccatis mille grauata  
Prælia que mecum vix toleranda facit.

Quid Phlegetontæi fraudesq; dolosq; Tyranni  
Nos circum licet is ceu Leo Pœnus eat?

Ille Panomphæis qui singula lustrat ocellis  
Victor adest, vitæ curam habet ille meæ.

Hunc ego adoro, huius totus dependeo nutu  
In fragillis donec carcere carnis ero.

F

NOLI

**NOLI ALTVM SAPERE, IN GRATIAM**

FRANCISCI ab alba spina, Galli.

*Si sapi aliter sapere.*  
Si sapis & vere sapientis nomine gaudes

Sis contenta humili chara Thalia pede.

Alta nocent, nimiumq; nocent sublimia semper

Omnib. omnia sunt summa referta malis.

Quisquis amas requiem, mediocria dilige: Paruis

Aurea pax, magnis factio reb. inest.

**CONSCIENTIA RES OPTIMA, IN GRATIAM**

DIONYSII Roneri.

Qui bene conscius est sibi, foelicissimus ille est.

Ne lingua metuit dira venena mala.

At que peccati sibi met mens conscia pravi est:

Et timet & miseris angitur illa modis.

Non igitur cupio thesauros vberiores

Non mihi Pactoli cuncta metalla precor.

Dives ego fat sum, si sit mea conscia recti

Mens sibi, nullius & conscia dextra mali.

**SYMBOLON AVTHORIS: NASCI, PATI,**

Mori, aliquoties redditum.

Nascimur & patimur, morimur quoq;: scilicet ille

Rebus in humanis ordo perentis erit.

**ALITER.**

Nascuntur tumida mortales matris in aluo

Hos quoq; nonnunq; mors rapit ante diem.

Sed quas transigimus viuendo scilicet horas

Aerumnis plenas cernimus atq; malis.

**ALITER.**

Cur ita, tam miseram vitam constanter amamus

Que tamen aerumnis tota malisq; scater.

Nascimur in vitis, diuinæ innascimur iræ

Tandem fulmine nos mors rapit atra suo.

Non rapit illa tamen, nisi quos exercuit omni

Curarum atq; mali pestilitate prius.

**ALITER.**

**ALITER.**

Nascimur vt serie tandem moriamur eadem

Vita mali pelagus nil nisi tristis habet.

**ALITER.**

Nascimur & miseri, miseros & degimus annos

Mors (velut audimus) nil quoq; mellis habet.

Omnia sunt fucata malis ac plena tumultu

Vix quoq; que bona sunt pestilitate carent.

**ALITER.**

Nasci principium est, sic mors est terminus aui

Quod medium est, id erit mille pericla pati.

**SYMBOLVM NICOLAI STIMFELIANI,**

Vlmensis.

Principium cunctorum amor est ac lerna malorum

Sive sit is longus sive sit ille breuis.

**SYMBOLVM MYCALI ZENGII**

Pabergensis.

Si sapis, in dominum constanti pectore spera

Ac super hunc curas projice chare tuas.

Auxilium venit omne pia de sede DEORVM

Hinc opus est, vt tu commoda cuncta petas.

A dextra leuaq; cadant si millia multa

Tu tamen integro corpore tutus eris.

**IOANNES STIGELIVS, GASPARI**

Bruschio.

Vitifero natum sinuosi in littore Rheni

Attulit Albiacus nobile Tucca merum.

Quemq; viris aiunt Mysas laudare puellis

Huc misit patrium regia Torga Zythum.

Si iuuat a ccena tristes dissoluere curas

Musarum Bruschi digne fauore, veni.

Ad numerum nostros pro more bibemus amores

Hic mecum quamuis impare lege bibas.

F ij

Nam

*Nasci et mori*

Nam Cunigunda nouem bibitur tibi candide Bruschi  
Vix cyphis bibitur quattuor ILLA mihi,  
Te potum ac hylarem dominae quota littera reddit  
Epota maneo sobrius ipse mea.  
Foelix qui numero fortem submergis amorem  
Me misere in somnem sobrius angit amor.

IDEM, Eidem Bruschio.

ILLA mihi bibitur gelidæ sub tempore Brumæ  
Cum releuant crassam fortia vina gulam.  
Hec eadem adiuncta bibitur mihi vere SABINA  
Cumq; pares cernit PLEIAS orta dies.  
At cum dura canem sicientem prottulit Aestas  
Cum reliquis bibitur PENTHESILEA mihi.  
Cumq; bibam multas, tamen vnus ignib. ILLAE  
Vror, & hanc fido pectore castus amo.

IOANNI STIGELIO POETAE, THESEO SVO,  
GASPAR BRVSCHIVS.

Septem BARBARA, sex poclis REGINA bibatur  
Quattuor ANNA, velut MAGDOLIONA decem.  
Omnis amica suo numerari nomine debet  
Que saltem est domino dulcis amica suo.  
Quotq; notas ostendit amatae nomen amicae  
Tot quoq; sunt cupido vina bibenda proco.  
Ergo dabis facilem veniam mihi chare Stigeli  
Si mea forsitan est sobria vita parum.  
Guttore pocla nouem mihi sunt sorbenda fideli  
Cum socijs quoties haurio vina meis.  
Tu leuiore bibis iactura bis duo saltem:  
Nam placet ILLA tibi, sic CVNEGVND A mihi.  
Ebrius ergo tibi possim ne solus haberi  
ILLAE adiungatur nota SABINA tuae.  
Car mine sic quantum vincis me docte Stigeli,  
Sic etiam vincas ebrietate, vale.

DE

DE NOUEM MVSIS, IN GRATIAM  
MATHAEI Caielli.

Ter tria nata IOVIS cerebro pia numina cerne  
Et cole quisquis amas Phœbi contingere fontes,  
Si quid habet veræ mundus dulcedinis, illud  
Phœbus habet, Musæq; docent, Pallasq; ministrat.

EX GRECO.

Ignis edax, mare nauifragum, mulierq; superbo  
Ingenio: tria sunt hec mala & ampla nimis.

SENARIVS.

Et ignis & mare & mulier, tria sunt mala.

TVMVLVS CYRI REGIS

Persarum.

Cyrus rex, eques optimus, optimus & iaculator  
Hic iaceo, hosti hostis crudelis, amicus amico.

DE MVSICA.

Ingenij neruos ac omnia robora tollit  
Musica, delicias procreat innumeras.  
Laudib. æterni venerandum dogma parentis  
Cuius sunt nutu condita cuncta, vehit.  
Formosas placat mirando numine Nymphas  
I nunc & Clarij munera sperne chori.  
Quisquis amas Musas, felicib. vttere fatis  
Qui spernis, stygio sis rudis esca IOVI.

CHRISTOPHORO A KLEIN.

Nomine paruus es, ipso etiam nec corpore maior  
Magnus at ingenio, si cupis, esse potes.  
Quos legum legis ergo libros, lege mente fideli  
Tum facies magnum & nomen in sorbe tuum.

BENEDICTO MVLICIO PATRI

GASPAR filius posuit.

Præceptis Sophiae coelestis & artib. aulae  
Quod mea dicasti pectora chare pater.

F iij

Te

Te quod ego curante DEI sanabile dogma  
Perdidici, decus & Palladis omne sacrae.  
Hac ego pro pietate pater dulcissime, tali  
Exorno cineres rursus honore tuos.  
Ut tua praesenti requiescant ossa sub vrna  
Gaudet ut in Christi mens tua recta sinu:  
Ac laudat quem tu viuens coluisse solebas  
Constanti dominum religione DEVM.

GEORGIO DEPELIANO  
BOEMO.

Georgi mihi charè propter ipsam  
Communem patriam ac vtriq; charam  
Si iustæ ac solidæ cupis venire  
In perfectum iter eruditionis.  
Si foeliciter esse vis quod optas  
Doctus qualibet in professione  
Fac summo Dialecticos libellos  
Euoluas studio ac iugi labore  
Ut dignoscere rite curua rectis  
Et prudentius omnium probare  
Argumenta queas. Bonum sit illud &  
Confutumue malis Sophisticisq;  
Aut errorib. aut dolis? inepta  
Seu formæ ratione, an expedita?  
His adiungito Rhetorum disertos  
Sermones, quib. explicare quiduis  
Ac ornare suo solent colore.  
Exemplum Cicero tibi ministrat  
His exercitijs satis probatum,  
Ne dicam reliquos recentiores  
Quos inter mihi Sturmius tenere  
Partes scilicet optimas videtur.

Ac

Ac postq; eloquij tenes figuras  
Ornamenta, iocos, sales suaues:  
Naturam quoq; diligenter, ipsam  
Rerum scilicet omnium parentem  
Discas ordine sedulo, docentem  
Recte reb. inesse non ineptas  
Causas omnib. & nihil nisi apte  
In mundo fieri ac DEI supremi  
Alto consilio, tenentis omne  
Hoc nempe imperium vtriusq; mundi.  
Hæc est summa scientia, hæc voluptas  
Qua nec maior in istius pudenda  
Carnis luxurie potest referri.  
Hec nos & similes DEO perenni  
Ac vere efficit esse quod iubemur.  
Hec princeps eadem scientiarum  
Aeternæ propius trophœa vitæ  
Et tanq; in speculo dabit videre.  
Hanc cum cognitione siue morum  
Seu virtutis & æquitatis arte  
Quisquis iunxerit: is DEO parenti  
Authori sapientiæ atq; morum  
Se nec dissimilem nec imparem esse  
Credat. Nam neq; Delphici tonantis  
Quicq; certius aut magis fidele  
Seu Cortyna refert: sonant nec antra  
Cumeæ folijs operta vatis.

F I N I S.

V I T E B E R G A E,

EX OFFICINA IOSEPHI Ζοφου,

MENSE IUNIO, ANNO

M. D. XLII.